& perſpicacia haud deeſt & qui ex affectu quodam malo in erroribus mordicus defendendis & propagandis ſunt pertinaces.

Regula XI.

Quo perniciosiores ſunt conſequentiæ, quæ ex erroribus profluunt, eo perniciosiores ſunt errores ipſi, niſi, quod probè notandum, conſequentiæ hæ, affuſis veritatibus præſtantiſſimis, ſuffocentur & virus ipſarum tollatur. Notamus hîc ὡς ἐν παρόδῳ, nemini licere, controverſiæ cujuſdam momentum minuere vel ex fundamentali problematicam facere, id quod ſolidiſſimè notavit ſumme Rev. D. D. HOFFMANNUS in Synopſi Theol. p. 145. 146. qui ait, in tranſactionibus quidem civilibus poſſe quædam remitti, aſt in veritatibus divinis non item. Adde omninò SAM. PUFENDORFII Jus feciale divinum §. 7. p. 26. ſqq. ubi inter alia rectè Vir ſummus ait: *Ut aliqua quæſtio problematica & indifferens declaretur, non ab arbitrio hominum pendet.*

Regula XII.

Conſequentiæ perniciosæ erroribus, ex quibus profluunt, magnum momentum haud adſundunt, ſi in praxin fidei & pietatis eas influere haud patiamur eæque adeo merè theoreticæ & cerebrinæ ſint.

CORONIS.

Et ſic quidem, cauſſâ ſatis peroratâ, umbilicum libello huic imponimus, exiſtimamuſque, fore, ut, ſi, hiſce cautelis adhibitis, conſequentiæ imputentur, *erroribuſque magis quam errantibus impingantur*, ſi & hâc rebus, quam commendamus, moderatione adhibitâ, in diſputationibus, quæ cum Reformatis nobis intercedunt, procedatur, jurgia magis magiſque minuantur, &, quod bonus quiſque animitùs exoptat, *fiſſura Sionis*, ſalvo utrinque fidei fundamento, ſenſim ſenſimque *coeat.*